

# Orazio Antonio Bologna

---

Iosepho Mariano Macioni qui  
antiquarum linguarum peritus  
Latinarum Graecarumque litterarum  
cultur clarum Universitatis  
Lodziensis lumen doctrinam  
iustitiam aequitatem studentes et  
cives exemplis et scriptis docuit  
humilem tanto viro elegiam D D

---

Collectanea Philologica 16, 15-18

---

2013

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

---

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

Orazio Antonio BOLOGNA

**IOSEPHO MARIANO MACIONI  
QVI  
ANTIQVARVM LINGVARVM PERITVS  
LATINARVM GRAECARVMQVE LITTERARVM  
CVLTOR  
CLARVM VNIVERSITATIS LODZIENSIS LV MEN  
DOCTRINAM IVSTITIAM AEQVITATEM  
STVDENTES ET CIVES  
EXEMPLIS ET SCRIPTIS DOCVIT  
HVMILEM TANTO VIRO ELEGIAM  
D D**

- Me tristem fecit puerum natura maligna,  
quae mala multa mihi, commoda nulla dedit.  
Me propter fluvium paupertas, Iulia, dura  
tristitiis aluit, vulnera dira dedit.
- 5 Infelix hominum vidi mala corda per ava  
divitiis magnis tristitiisque frui.  
Fructibus inclemens aluit me flumen acerbis,  
Tammarus ingratus commoda nulla tulit.  
Gramineas ripas, scopulos litusque profundum
- 10 tegmine contexit populus alta suo.  
Hic genus undivagum stagnis ingentibus errat,  
caeruleis pinnis aequora lata quatit.  
Lanigerum pecus huc ducit defessus arator,  
huc validos tauros cornigerasque boves.
- 15 Hic pater invenit sociae natisque tenellis  
aegre alimenta suis ipse labore gravi.  
In fluvii lymphis noctu captare solebat  
vel querulas ranas squamigerumque genus.

- Qua rapidae currunt lymphae piscesque leguntur,  
hic anguilla manet, pascit et antra petit.  
Lenibus in scopulis nassas laxare venator  
nocte solet, zephyro gurgite nante super.  
Anguillas piscesque cupit captare misellus,  
ipse quibus pellat tristia dona deum.
- Quam multas agit o noctes pater ipse misellus  
fluminis ad ripas, vere ferente gelum.  
Eu quotiens igni pellebat frigora noctis,  
arboris ad truncum, mente petente specum.  
Sidereum caelum pater unus, lumina cuncta  
conspiciebat, opus noctibus ipse gerens.
- Retia vel nassas vigilis servabat et unus  
pellebat fures nocte dieque vagos.  
Vendidit anguillas quotiens piscesque, peragrans  
defessus valles, flumina, rura, vias.
- Haud raro capitur nassis laqueisque retortis  
anguis reflexus, quam tulit unda feram.  
Piscibus impositis humeris nassisque relictis  
vepribus in densis, lene peragrat iter.  
Quod lustrans totum, fingit felicia mente,  
diuitias spernit, laetus honesta cupid.
- Oppida cum celerique gradu longinqua petebat  
tum leni, quaerens tegmina tuta specus,  
cum solis radios vellet vitare molestos:  
pondere defessus solus agebat iter.
- Civibus ingratis genitor captabat in altis  
gurgitibus pisces, retia parva vehens.  
Piscibus anguillisque datis, gravis aere redibat  
nonnumquam, proles dulcia dona petens.  
“Progenies piscator erit, me sospite, numquam,  
oderit has nassas”, tunc ait ille frequens.
- “Quam miseram mihi nunc dederint mala numina vitam,  
tu, Deus, ignoras, tristia tanta mihi.  
Nullus adest hominum dives, qui praebeat unus  
quo pellam miseram munere prole famem.
- Tammarus unus adest, alto qui gurgite servat  
diuitias magnas, tam bona multa mihi.  
Aeternum Deus omnipotens benedicat in aevum,  
Tammare, te, quoniam commoda multa refers.

- Tu deus es mihi, tu quoniam mortalia corda  
60 anguillis, ranis, piscibus unus alis.  
Suppeditas proli uictum munusque supremum,  
tu miseris praebes unda quod alta tenet".  
Tammarus unus erat, qui nos generosus alebat:  
caeruleus numquam rivus avarus erat.  
65 Piscibus in fluvio captis potuere parentes  
felices genitis suppeditare dapem.  
Numquam magna pater concepit pectore regna:  
contentus parvo, despiciebat opes.  
"Sufficient miseris nobis quae Tammarus unus  
70 suppeditat noctu, iugera parva die.  
Tempore paupertas, ait ille, videtur amica,  
cara mihi semper praetereunte fuit.  
Iugera, quae tu, nate, vides, quae parva videntur,  
te faciunt laetum, munera magna ferent.  
75 Noctibus ipse cubam liquidas prope fluminis undas,  
rete tuens vigilis, rura dieque colam".  
Haec dixit lacrimans, resonis tum vocibus addit,  
conspiciens caelum, prata serena, nemus:  
"Lanigeras pecudes numquam servabis in agris;  
80 iugera versabis vomere nulla gravi.  
Laetus conspiciens hominum volitare per ora  
clara tuum nomen, gaudia corda tenent.  
Nobilium vigilis fies praceptor, amicus  
Cstalidum teneris Pieridumque choris.  
85 Nobile cor dederunt divi mentemque sagacem;  
infirmum pectus, virgine dante femur.  
Ast animus, gremio viso, fortissimus esto:  
conspice miratus dona superna Dei.  
Delicias sensu poteris captare fugaces,  
90 tempore quae fugiunt omnia, nate, brevi.  
Qui clarus volites hominum tu clara per ora,  
ingratam possum iam tolerare famem".  
Promissum genitor probus servavit: in amne  
nocte, die campis nobile fecit opus.  
95 Gaudentem tenet ille malus felicibus Orcus  
coepitis qui geniti clara per ora volat.  
Incepi puer ipse graves contexere nassas  
et viburna mea carpere lenta manu.

Hanc artem docuit genitor, cum tristis abiret  
100 ad fluvii ripas, corda premente fame.  
Quam doctis didici monitis industrius ipse,  
Iuppiter, attamen ahs defuit illa mihi.  
Ingeniosus eram: pueros erudire solebam  
sidera cur fugiant, iam redeunte die;  
105 tempora mutato Phoebe cur temperet orbe,  
deficiat Phoebus tempore nocte dato.